



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXIII. De utendis bonis ecclesiasticis & de reparationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](#)

non interrupta sit judicialiter per litis contestationem, nisi forte adversarius vi majore ab agendo retentus est.

1) *Reg. 35. de annali possessore.*

2) *36. de triennali possessore. Pragm. tit. 7.*

•••••  
C A P . X X I I I .  
DE UTENDIS BONIS ECCLESIASTICIS,  
ET DE REPARATIONIBUS.

I.

BONA ecclesiastica sunt res sacræ, quarum proprietatem nemo habet, administratæ a beneficiariis, qui propterea non proprietarii adpellantur, sed *titulati*. Evidem nostris moribus non nisi Deo rationem reddunt, & in foro humano habentur usufructuarii, qui per tempus ususfructus fructus suos faciunt, laudandi, si fundos sartos tectos servant, neque successoris usumfructum anticipant. Ast in foro conscientiæ bona ecclesiastica pristinam naturam non exuerunt, sed etiamnum sunt vota fidelium, premium peccatorum, patrimonium pauperum <sup>1</sup>. Nec ecclesiasticis personis plus in ea juris, quam apostolis. Nam ad horum exemplum plus sibi arrogare non debent, quam ut ne propriis sumtibus serviant, si nolint, sed altari servientes ex altari lege veteri, ex evangelio, jure novo vivant, & ex præscripto domini, qui dixit: dignus est operator mercede sua <sup>2</sup>.

Beneficiarii sunt usufructuarii bonorum ecclesiasticorum.

1) *Pomer. vita cont. l. 2. c. 9.*

2) *Luc. X. 7. 1. Cor. IX. XIII. 14.*

quod jure  
permittit  
tur

II. LICET igitur clero, etiam pa-  
trimonium habenti, sumtibus ecclesiæ, si ei  
servit, vivere. Quod ad duo restringitur:  
ut serviat ecclesiæ; ut satis habeat, viçtum  
capere ex bonis ecclesiæ, h. e. ut necessariis  
contentus agat, præcipiente Paulo<sup>1</sup>: Haben-  
tes viçtum & amictum, contentos esse conve-  
nit. Quicumque igitur ecclesiæ non servit,  
aut non utiliter servit, & tamen bonis ejus  
utitur fruitur, ille suam onerat conscientiam,  
etiam necessaria tantum, vel minus, sumeret.  
Et qui ecclesiæ utilem navat operam, plus ta-  
men sumit, quam est necessarium, ut vel ipse  
luxu diffluat, vel divitias colligat, suosque lo-  
cupletet cognatos, eum terribile manet ju-  
dicum; quod qui non metuit, illum ecclesiam  
fugere convenit, quum omnem Christiani ho-  
minis sensum ex animo amiserit.

1) 1. Tim. VI. 8.

si ser-  
viunt ec-  
clesia;

III. SERVITIUM, a beneficiario ec-  
clesiæ præstandum, non solum in recitando  
privatum officio consistit, sed & ut totus sit in  
eo, quemadmodum aliorum hominum quis-  
que artem colit, qua sustentatur. Si benefi-  
cium *simplex* est, sine functione & nulli loco  
affectum; pro viribus ingenii proque occasio-  
num varietate precibus, literis, concioni-  
bus, catechismo, sacramentorum administra-  
tioni, infirmis visitandis, pauperibus adju-  
vandis, omnisque generis bonis operibus tem-  
pus omne transmittendum. Ipse vitam, si  
non tenuem, modestam tamen & frugalem  
agat, nec expensas vel natalibus suis vel pro-

ventuum opulentia, sed loco, quem tenet in ecclesia, & servitii necessitate metiatur, & reliquos reditus eleemosynis aliisque operibus caritatis, præsertim in loco, e quo proventus habet, impendat.

IV. SED ante omnia oneribus, qui- hinc te-  
bus ferendis tenetur, satisfaciat. In his fa- nentur  
miliam dicit reparatio ædium. Quum enim I. ad re-  
in foro externo usufructuarius reputetur, ad paratio-  
reparationes vitalitias tenetur, quarum causa ecclesia hypothecam in omnibus ejus bonis a  
die arrepta possessionis nanciscitur <sup>1</sup>. Dili-  
gentis patrisfamilias officium faciat; si tamen  
indiligenti successit, actio tantum adversus  
heredes ejus competit. Si ruinosa prædia sint  
instauranda, ultra tertiam proventuum non  
tenetur, quum duæ tertiae ipsi ad faciendum  
officium censeantur necessariæ. Idem dicen-  
dum dereparationibus ab antecessore neglectis,  
& a cuius heredibus rem servare non potest.  
Ut autem hæ appareant, beneficiarius simulat-  
que in possessionem immittitur, auctoritate  
judicis per artis peritos omnia visitanda & ex-  
ploranda curat, & designationem illam af-  
servat <sup>2</sup>.

1) *Mem. du Clergé part. 3. tit. 5. Le Prétre cent. I.*  
c. 19. 2) *Louet R. 50.*


V. REPARATIONES autem non so- cum ec-  
lum ecclesiarum, sed & domuum, prædio- cleia-  
rum, horreorum, omniumque, quæ a bene- rum, tum  
ficio pendent, ædificiorum intelliguntur. In reliquo-  
ecclesiis parochialibus partes distinguuntur. rum ædi-  
ficiorum.

Chori enim & suggestus reparatio suscipienda ab eo, qui decimis gaudet majoribus; ad cetera, nec non ad habitationem parochi, populus tenetur<sup>1</sup>. In aliis locis decimatores sine partium distinctione tertiam pendunt; in aliis altera pars materiam, altera opifices suppeditat: in quo cujusque loci consuetudo attendenda. Est autem episcopi, provinciam obeun-  
tis, reparations necessarias injungere, ad quas hominem censuris ecclesiasticis compelle-  
re potest<sup>2</sup>. Interim in Francia regii præsi-  
des pariter his invigilare, & refractarios se-  
questratione proventuum ad eas adigere pos-  
sunt<sup>3</sup>, quia rex protector est externæ disciplinæ.

1) Arrêt du Gr. Conf. 27. Nov. 1670.

2) Concil. Trid. sess. 7. c. 8. sess. 21. c. 7.

3) Stat. Aurel. art. 21. Blesf. art. 52.



C A P. X X I V.  
DE ALIIS BENEFICIORUM  
ONERIBUS.

I.

s. ad de-  
cimas. **A**LTERUM onus, cui beneficia generatim obnoxia, sunt *decimæ* a clero regi pendendæ, de quibus dictum, & his annexum *da-  
num gratuitum*, cum sumtibus, in conventum cleri generalem faciendis. Hæc tria conju-  
ctim & fere ab iisdem exactoribus leguntur, licet ad dona gratuita in diœcesibus alii colle-  
tores constitui possint<sup>1</sup>.

1) Mem. du Clergé part. 6. § 7.